



Sammelband 079

Index locorum in hoc volumine  
explicatorum

- nr. 29 Pf. LXXXIV.  
4. Matth. II. 17. 18.  
28 Luc. I. 78.  
10 Act. XIII. 32. 33.  
20 Epist. V. 23.  
18 Gal. I. 34.  
11 Col. II. 14. 15.  
23 Cor. XIII. 2.  
26 1 Petr. III. 18.  
38 2 Petr. I. 19.  
6 Iud. 9.  
38 Apoc. XII. 16.

38

37

DE  
PAVPERTATE CHRISTI  
PROGRAMMA  
FESTO NATIVITATIS CHRISTI

MDCCCLVI

IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA

P. P.

---

HELMSTADII

L I T E R I S S C H N O R R I A N I S .



PAUPER TATE CHRISTI

PROGRAMMA

FESTO NATIVITATIS CHRISTI

MDCCLVI

IN ACADEMIA EVANGELICA CAROLINA

P. P.

HERNSTADT

LITERIS TECHNOLOGICIS



III  
PRORECTOR ET SENATVS

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

S. P. D.  
CIVIBVS SVIS

**H**istoria nativitatis Christi simul continet documenta nati infantis, qui magnus futurus erat, et filius Altissimi vocandus, quem admodum praedixerat angelus *Luc. I, 32*, simul speciem prolis tenuis fortunae, splendorem nominis, dignitatis, eminentiae inter homines vix consecuturae. Maiestatis Christi nati index erat angelus Domini, ipso nativitatis tempore pastoribus superveniens, illisque annuncians, natum esse hodie Servatorem, qui esset Christus Dominus in urbe Davidis; eique se iungens chorus exercituum coelestium, laudantium Deum et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, in homines benevolentia. Alius maiestatis index erat stella, apparens in Oriente, et excitans magos ut irent Hierosolymam, adoraturi regem Iudaeorum recens natum, cui etiam offerebant munera, aurum, thus et myrrham, more Orientalium in conspectum regis admissorum. Documenta tenuis fortunae in ipsa nativitate, reliquis

que vitae circumstantiis plura deprehendimus. Descendebat quidem Christus ex familia Davidis, quam ob causam Iosephus et Maria ad urbem Davidis, quae vocatur Bethlehem, commigrabant ut ibi describerentur, sed tempore nativitatis Christi stirps regia ad tenuissimam fortunam redacta erat, quod testatur vitae genus Iosephi, et desponsatae ipsi Mariae, matris Domini. Cum esset Bethlehemi, et explerentur dies ad pariendum, ponebat filiolum in lucem editum, fasciis involutum in praesepi, eo quod non erat locus ipsis in diversorio, pauperes enim vilissimo hospitio contenti esse coguntur. Educatio Christi erat talis, ut Nazarethi in familia parentum ipsis subiectus esset. Postea ministerium publicum aggressus, cum Scriba quidam exposuisset consilium sequendi Christum tanquam magistrum, respondebat Dominus: vulpes habere lustra, et volucres coeli nidos, filium autem hominis non habere ubi caput reclinet, *Matth. VIII, 20*, ostensurus sine dubio Scribae isti, commoda terrena spectanti, et regnum Israelis cogitatione praecipienti, nullum a se regnum conditum iri, qui nullas plane possessiones haberet, sed aeternae hominum salutis causa in hunc mundum venisset.

Religio quam Christus homines docebat, tota tendebat ad veram agnitionem Dei et viae salutis animis hominum instillandam, ad erudiendum eos, hanc esse vitam aeternam, ut cognoscamus illum solum verum Deum, et quem misit Iesum Christum; ad inculcandam ipsis custodiam praeceptorum Dei, quo abnegata impietate et mundanis cupiditatibus, temperanter

V

ranter et iuste et pie viverent in praesenti seculo, Deoque servirent cum sanctitate et iustitia, in ipsius conspectu totis vitae diebus. Haec sunt talia, ut Christianos inprimis ad animi emendationem conitti debere facile appareat, sed ut progressu seculorum cultus divinus ad actus quosdam externos et opus operatum restringi coepit, ita quoque sanctitatis laus quaesita ex austeritate vitae, ieiuniis, ciliciis, cruciatibus corporis et similibus, atque haec vivendi ratio habita est meritoria coram Deo. Hinc inter monachos, sanctitatis odorem semper ambientes, existere coeperunt, qui ex imitatione paupertatis Christi Deo hominibusque commendabiles fieri, et perfectionis statum amplexi videri voluerunt, MENDICANTES dicti, quod ex eleemosynis vitam tolerandi consilium ceperant. Abierunt in quatuor familias, DOMINICANORVM, FRANCISCANORVM, AVGVSTINIANORVM et CARMELITARVM. Inter hos Franciscani dicuntur *mendicantes ex regula*, quia ipsa regula Francisci adstringit sectatores ad abdicationem reddituum et possessionum, etiam in communi. Reliqui *mendicantes ex constitutionibus*, quia per regulas Ordinis sui ad mendicitatem non obligantur, sed ex constitutionibus, regulae quam profitentur postmodum adiectis, hoc vivendi institutum acceperunt. Et quidem *Dominicani*, quadriennio post confirmationem Ordinis, ab HONORIO III impetratam, in generali conventu, Bononiae coacto, bonorum proprietatem sibi interdixerunt, et, ne in posterum bona habere liceret, edita constitutione firmarunt. *Augustiniani* vero et *Carmelitae*, quo tempore mendi-

## VI

cantibus fuerint annumerati, non satis constat.   
 Paupertas ipsa dividi coepit in tres species, *altissimam*, *mediam* et *infimam*. Paupertas *altissima* est, quae nihil habet in hoc mundo, nec in communi nec in proprio. Ad eam ex praescripto Francisci se obligatos crediderunt Franciscani, humilitatis testandae causa fratres Minores appellandi. Paupertas *media* est, quae nihil quidem proprium, sed quaedam tamen in communi possidet, ut libros, vestimenta et quotidianum victum. Hanc sibi vindicaverunt Dominicani. Paupertas *infima* est, cui aliqua et communia et propria habere licet, sed ea tantum, quae ad vitam tuendam necessaria sunt, atque hanc elegerunt Carmelitae et Augustiniani. Paupertas illa *altissima*, quam Franciscus sectatores suos observare iusserat, peperit inter ipsos duas controversias, magnis animorum motibus agitatae, alteram de forma vestimentorum, alteram de granariis et cellariis, cui posteriori admiscebatur quaestio de paupertate Christi. De vestimentis ita caverat FRANCISCUS: *Mei ordinis monachi vilibus et exigui pretii vestimentis induantur, neque plus una tunica cum caputio seu cuculla, et altera sine caputio habeant, neque calceamenta portent.* Quaerebatur quomodo his praescriptis satisfaciendum esset, et certi quid statuendi causa in capitulum generale congregabantur. De calceamentis facile transigebant, se loco eorum, loris soleas quasdam pedibus aptaturos, sic fore ut non calceos gestarent, sed tantum soleas. Gravior erat controversia de vestimentis. Tres movebantur quaestiones: una de *colore*, altera de *mensura*,



*furva*, tertia de *forma*, et certabatur quid in quoque genere foret vilissimum, mentique fundatoris convenientissimum. Intuitu *coloris* erant qui suaderent colorem viridem, quia nulla materia parabilior esset, quam ex qua exprimeretur color viridis. Alii monebant, colorem fumeum minoris constare, quia lana candida, ad fumum suspensa, sponte eum traheret. His acutiores videbantur, qui tertiam sententiam in medium proferebant, nullum colorem viliozem esse quam qui velleri natus esset, album scilicet vel nigrum, horum itaque alterutrum esse eligendum, cum nullo nec sumtu nec labore constaret. Rem acuhos tetigisse diceret, sed tamen non deerant prioribus quae reprehenderent. Pecudum colorem suadere, dicebant pecuinum aliquid et crassum sapere, maledicos inde occasionem arripere posse sibi illudendi, quod veniant in vestimentis ovium, intus autem sint lupi rapaces: praeterea dari regiones, in quibus nullae aut paucae oves *furvae* sint, dari alias albis ovibus destitutas, fore itaque, ut, sive atrii sive albi esse vellent, alterutrius coloris pannos fratres earum redimere cogentur, contra expressam litteram regulae Francisci. His argumentis minime se vinci patiebantur eius sententiae patroni, convicia quaedam iactabant in colorem viridem, et sicubi vellerantur tantum *furva* provenirent, ea nec viridi nec fumoso tingi posse monebant. Tandem concludebant, gravem hanc litem iudicio pontificis relinquendam, eiusque arbitrio terminandam. Non meliorem successum habebat disputatio altera de *mensura* vestium, longae an breves, fusae an arctae esse deberent? Pars censabant

febant vestes strictas et breves esse assumendas, cum  
 et vilioris pretii sint, et ad peregrinandum expeditio-  
 res, sibi autem, ex eleemosynis vivere iussis, saepe  
 peregre eundum fore ad stipem colligendam. Rege-  
 rebant alii, sic Franciscanos molitoribus quam mona-  
 chis similiores fore, quosdam sui ordinis, hoc modo  
 vestitos, per ludibrium Curtos appellari; longe de-  
 centiores esse vestes longas, et plus venerationis con-  
 ciliare, Franciscum ideo in regula *tunicae* vocabulo  
 usum, quod denotaret vestem longam. Qui priores  
 sententiam dixerant, negabant hoc ex CALEPINI Di-  
 ctionario probari posse: vestibus productis *togae* ap-  
 pellationem convenire dicebant, nec ex vestibus vene-  
 rationem sibi quaerendam, verum ex humilitate et ani-  
 mi demissione. Addebant alias rationes, quibus senten-  
 tiam suam firmare, et dissentientium tela retundere co-  
 nabantur, sed quia neutra pars alteri cedebat, etiam  
 has altercationes pontifici dirimendas relinquebant.  
 Tertia quaestio, *de forma vestium*, in plures secabatur  
 partes; utrum vestes simplices fieri, an duplicari de-  
 berent? utrum collaria et manicae, haeque an pen-  
 dulae, an patentes, an strictae addendae essent? Ma-  
 nicae pendentes quibusdam videbantur indecorae;  
 patentes autem tum honestiores, tum ad stipes con-  
 dendas aptiores, quippe usum perae praebiturae, hanc  
 vero commoditatem minime spernendam esse, cum  
 non suppeteret alia, ad ferenda secum quae emendi-  
 cassent. Opponebant tamen alii, manicas latas et pa-  
 tentes cariores esse strictis, ac proinde regulae suae  
 repugnare. Exitus disputationis erat, de tribus quaes-  
 tionibus agitatis simul consulendum esse pontificem.

anadol

Ad

Ad hanc litem de vestimentis, accedebat altera de granariis et cellariis, funesta odia Minorum in se invicem incendens, et ad exilia, flammam, internecionem faeviens. FRANCISCUS ita legem tulerat: *Fratres sibi nihil approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sed sicut peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate famulantes Domino, vadant pro eleemosyna confidenter. Non oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos meos fratres, haeredes et reges regni coelorum instituit.* Iubebat haec lex rem molestissimam, paupertatem absolutam, sed eam commendabat ab exemplo Christi, et praemia spondebat amplissima, haereditatem regni coelorum. Quid mirum, pro diversitate naturali ingeniorum, austeritates has aliis magis placuisse, aliis vero minus. Corporis nostri ea est constitutio, ut id cibo ac potu identidem reficiendum sit, et hinc sua sponte sequi videtur, ut penum habere oporteat, ex qua depromi possint quae ad vitam sustentandam sunt necessaria: regula tamen ita scripta erat, ut nullam rem sibi appropriare liceret. Praxin altissimae paupertatis cum difficilem esse experirentur Franciscani, statim post obitum patris sui solliciti erant de invenienda via ad tolerabilem quandam vitae conditionem, et impetrabant a GREGORIO IX molliorem regulae interpretationem. Molestum hoc ferebant alii, qui *Spirituales* dici coeperunt, atque diuturnum a reliquis dissidium fecerunt. Nascentes similitates occupare, et dubitationum fluctus componere cupiens INNOCENTIUS IV. A. MCCXLV de-

cernebat, habere quidem loca, domus, supelleſtilem, libros et alia, iisdemque uti poſſe fratres, verum ius, proprietatem et dominium illarum rerum ad s. PETRYM, ſeu eccleſiam Romanam pertinere, ſine cuius conſenſu nihil vendi, permutari, aut alio modo ad alios transferri queat. Declarationi huic non acquieſcebant Spirituales, depravationem regulæ eam venditantes, efficiebantque tandem ut A. MCCLX in concilio ordinis abrogaretur. Sed nimis moleſtus erat paupertatis altiffimæ uſus, quam ut tantum iugum omnes patienter ferre potuiſſent. Acciderat ut in ſedem pontificiam eveheretur NICOLAVS III, qui inter Franciſcanos vitam egerat, et ſpes affulgebat, virum, cum incommodis paupertatis colluſtatum, rigorem eius benigne temperaturum. Adeunt itaque pontificem, eique reverenter exponunt, Franciſcum iuſſiſſe ut Chriſti veſtigia ſequerentur, de eo autem legi in evangelio, quod oculos et pecuniam habuerit, fas itaque eſſe ut ſibi idem liceat. Addunt alia argumenta, quibus perſuadere conantur pontifici, ſibi neceſſario concedendum, ut aliquid in communi poſſideant. NICOLAVS, re cum Cardinalibus deliberata, edebat ampliffimam conſtitutionem, quæ a vocibus initialibus *Exiit qui ſeminat* nuncupatur, qua ſtatuebat, fratribus minoribus non licere ut quidquam vel in ſpeciali ſibi approprient, vel Ordini in communi, propterea quod in expropriatione Ordinis perfectio conſiſtat: concedebat tamen ſimplicem uſum, non iuris, ſed facti, rerum quæ ſibi vel monaſterio legata, aut alio quovis modo liberaliter oblata eſſent, dominium vero ad Romanam eccleſiam pertinere ſanciebat.

XI

bat. Vsum fratribus concessum porro restringebat ad usum rerum necessariorum, ut in omnibus appareret quoad dominium omnimoda abdicatio, et in usu necessitas, semperque in eis et eorum actibus paupertas sancta eluceret ex regulae praescripto. Auctoritate huius Bullae tantum sibi permitti arbitrati Minores, ut legata accipere et redditus annuos habere liceret, ad illos colligendos strenue incumbebant, et populi facilitate sic in rem suam utebantur, ut ipsa paupertatis species interiret. Tam immaniter cum violaretur regula, et spes emendationis decollaret, nihil superesse videbatur severioribus, quam ut secessionem facerent a reliquis. Petebant itaque a COELESTINO V ut separatam congregationem sibi formare liceret sub nomine *Eremitarum Coelestini*, et voti sui compotes reddebantur. Sed BONIFACIUS VIII, qui paullo post in summum Pontificem eligebatur, ut omnia Coelestini acta rescindebat, ita etiam novam hanc sectam tollebat. Orta hinc persecutione, Spirituales in Achaiam primum, deinde in parvam quandam insulam Graeciae migrabant, sed Bonifacius eos revocabat, praecipiendo sub poena excommunicationis, ut redirent sub obedientiam sui Generalis. His iussibus tandem obtemperantes, dum appellunt ad portum quendam Apuliae, Bonifacius moritur, et hinc novum schisma. Quidam se submittunt Generali Ordinis, alii petunt solitudines regni Neapolitani, Marchiae Anconitanae, et ducatus Herruriae, multique alii, relictis suis monasteriis illis se adiungunt. Causam Spiritualium tuebatur PETR. IOH. OLIVA, antesignanus omnium illorum, quibus certamina cum pontificibus de expropriatione fuerunt,

XII

runt, multique, superiorum suorum et inquisitorum furoribus se subducturi, in Provinciam Galliae ad eum confugiebant. Hoc tempore Ordo Francisci scindebatur in duas familias, *Spiritualium*, qui rigidam Francisci paupertatem sectabantur, et habitus curtos, strictos, squalidos gestabant; atque *Conventualium*, qui et a rigore paupertatis, et a vestium inusitata forma discedebant. Conventuales adeo premebant Spirituales, ut CAROLVS, Provinciae Comes, qui Spiritualibus favebat, intercederet apud CLEMENTEM V, ut Spirituales se defensuros benevole audiret. Impendebatur biennium examini huius causae, tuncque in Clementina *Exivi de paradiso* statuebatur, fratres Minores omnino ad maximam et summam paupertatem, abdicata proprietate omnium rerum, tam in communi quam in speciali; et ratione usus rerum, ad arctos usus, seu pauperes, qui in ipsorum regula continentur, esse obligatos, simul tamen permittebatur, ut, cum esset multum credibile ex iam expertis, quod non possent vitae necessaria aliter invenire quam faciendo congregationes et conservaciones, tunc illis granaria et cellaria habere liceret. Vilitatem autem vestium, quantum ad colorem panni, et pretium vilitatis attineret, ex consuetudine, vel conditione patriae aestimari volebat, iudicium relinquens Guardianis. Decreto huic quidam sponte, alii censuris adacti se subiiciebant, sed brevis erat magni fortuna laboris. Sede Romana post Clementem vacante, et defuncto quoque Ordinis Generali, CXX Spirituales, ex coenobiis Biterrensi et Narbonnensi Conventuales armata manu eiiciebant, novos sibi praefectos creabant, vestes

XIII

vestes breves et strictas resumebant. IOHANNES XXII, ad regimen ecclesiae admotus, denuo iubebat ut observaretur constitutio Clementis V. Gallos Spirituales Avenionem citabat, quorsum cum LXX circiter convenissent, malebant noctem sub dio transigere, quam ad Conventuales divertere. Papa illos, postero die coram admissos, iubebat ad communitatem cum fratribus redire, et promulgabat decretalem *Quorundam exigit*, qua iudicium de vilitate vestium relinquit iudicio superiorum, reprehendens fratres, qui pro arbitrio suo habitus curtos, strictos et novitatis plenos portarent, tandemque fratres hortatur ad obedientiam, quam dicit paupertati et castitati praefendam. Ex his qui comparuerant, XXV negabant se obedire velle, regulam enim Francisci non differre ab evangelio Christi contendebant, nec tantam esse pontificis potestatem, ut circa eam posset dispensare. Ex refractariis quatuor igni tradebantur Massiliae; qui fuerant in Sicilia alibique terrarum, vagabundi errabant ob persecutiones Inquisitorum, donec ipsis per fugium pateret ad LUDOVICVM BAVARVM imperatorem.

Nova lis erumpebat, per quam Papa cum universa Franciscanorum familia in certamen coniiciebatur. Archiepiscopus Narbonensis, et inquisitor IO. de BELNA, Dominicanus, *Beguinum* quendam damnaturi, inter alia crimini ei dabant quod docuisset, *Christum et Apostolos nihil habuisse proprii, ne in communi quidem.* Lector Theologiae in coenobio Franciscanorum, hanc thesin esse orthodoxam, et Decretali NICOLAI III consentaneam dicebat. Pro-

vocabatur ad Papam, qui de quaestione hac confulebat **VBERTINVM** de **CASALIS**, Spiritualium partibus quondam addictum. Responsum ferebat, Christum aliquid proprium aut in communi, modo humano possedisse, haereticam esse sententiam, eum vero aliquid in communi, modo spirituali habuisse, satis orthodoxe dici posse. Probabat pontifex iudicium, et secundum illud quaestionem definiens, silentium imponebat. Cum lis nihilominus feruere pergeret, pontifex. **A. MCCCXXII** praelatis et doctoribus theologiae discutiendam proponebat quaestionem: *Num esset haereticum affirmare, Christum et apostolos nihil habuisse proprii neque in communi, neque in speciali?* Eodem tempore **MICHAEL CAESENAS**, Generalis Franciscanorum, capitulum generale ordinis sui Perusii celebrabat, in quo concorditer decernebant, plane id non esse haereticum, sed epistolis pontificum conforme, et mittebant fratrem **BONAGRATIA** Avenionem, qui hanc sententiam tueretur. **IOHANNES XXII** irritatus, II Idus Nov. promulgabat decretalem *Cum inter nonnullos*, qua erroneam et haereticam opinionem esse dicit, quae asserit, Christum eiusque apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi etiam. Paulo post, VI Idus Dec. in alia decretali *Ad conditorem canonum*, refutabat constitutionem **NICOLAI III** qua sanciverat, dominium rerum, quae ad fratres minores pervenirent, pertinere ad ecclesiam Romanam, simplici usu facti fratribus relicto, quem in rebus usu consumptibilibus constitui posse negabat, statuebatque ut in posterum nullum ius, nullumque dominium haberet ecclesia Romana in rebus quae



quae offerrentur fratribus, procuratoresque nomine ecclesiae Romanae constitutos tollebat. Hoc facto vehementer offendebat Franciscanos, perfectionem Ordinis in expropriatione ponentes, et legatus Ordinis, frater BONAGRATIA, publice in aula Pontificis appellabat, in carcerem ideo coniiciendus. Contra oppugnatores binarum constitutionum, quarum iam facta est mentio, edebatur A. MCCCXXIV nova decretalis, *Quia quorundam mentes*, qua declarabantur tanquam haeretici, et ecclesiae Romanae rebelles, ab omnibus evitandi, qui deinceps scienter verbo vel scripto aliquid defendere vel approbare contra illas praesumerent. GVIL. OCCAM, qui Bononiae pro concione asseruerat, haeticum esse si diceretur, Christum et apostolos habuisse aliquid proprii, et MICH. CAESENAS, eiusdem sententiae fautor ac defensor, Avenionem ad dicendam causam evocabantur, profugi inde facti cum pluribus aliis ad Imperatorem LVDOVICVM, cuius causam adversus Papam strenue agebant calamo, ut vicissim defenderentur gladio.

Post utrinque devoratas mille molestias, exitus utriusque litis et cum Pontificibus, et inter fratres minores quaerebatur. In conventu generali Ordinis, A. MCCCXXIX Parisiis habito, persuaderi sibi patiebantur Minores, ut CAESENAS generalatu submoveretur, substituto in eius locum GERARDO ODONIS, Doctore Parisiensi et pontifici grato. Lis de paupertate Christi ita terminabatur, ut de auctoritate constitutionis NICOLAI III nihil detractum videretur. Diffidium fratrum minorum, quorum aliqui

XVI

qui ab altissimae paupertatis studio divelli non poterant, alii autem mitigationem regulae praecipiebant, aliter sanari non poterat, quam ut utrique parti, molliori et duriori, satisficeret. Consentiebatur itaque in divisionem Ordinis, ut quibus volupe esset regulam Francisci strictè observare, res suas separatim haberent ab illis, qui interpretationibus Pontificum uterentur, hoc est, ut alii dicerentur *strictioris observantiae*, alii *Conventuales*, atque sic lis diuturna, futilis aequè ac molesta, tandem deferbuit. Discatur hinc, quam insanire possint, qui sibi suffeni, laureolam in mustaceo quaerunt.

Si pie meditari volumus paupertatem Christi, longe alia consideranda veniunt. Novimus beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, quod propter nos pauper factus sit, cum esset dives, ut nos illius paupertate ditesceremus. Dives erat Christus *ὁ πρῶτος γεννητός*, Dominus coeli et terrae, cui omnia sunt subiecta, et in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Sed pauper factus est propter nos, abdicando se plenario usu maiestatis divinae, formam servi assumendo, et adeo se submitendo ut fieret obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Haec autem fecit ut nos ditesceremus, ut gratiae divinae redderemur participes, ut ius filiorum Dei consequeremur, ut dona Spiritus Sancti nobis acquireret, ut fieremus haeredes regni coelorum. Has, quaesumus, divitias Vobis ob oculos ponatis, CIVES CARISSIMI, et memoriam pauperis nativitatis Christi ita recolatis, ut divitiae gratiae, per Christum partae, in cordibus vestris abundant. P. P. in Academia Iulia Carolina die XXV Dec. MDCCLVI.



153883

X 2286633 ✓

ULB Halle 3  
007 138 997



R

ND 18







38  
37

DE  
PAVPERTATE CHRISTI  
PROGRAMMA  
FESTO NATIVITATIS CHRISTI

MDCCLVI  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
P. P.

---

HELMSTADII  
LITERIS SCHNORRIANIS.

